universität innsbruck
Universitäts- und Landesbibliothek Tirol

Universitäts- und Landesbibliothek Tirol

Quid Thascius Caecilius Cyprianus de corpore eiusque cultu iudicaverit

Göcking, Cornelia

[ca. 1935]

Caput sextum: De victu

urn:nbn:at:at-ubi:2-2252

C a p u t s e x t u m :

De victu.

Quod superest, quid de victu sentiat Cyprianus, consideremus. Atque eo in genere scriptores ecclesiae illius aetatis Christianos admonere oportebat, ut se a cibis nimis exquisitis abstinerent neque ut ethnici conviviis luxuriaque tempus contererent.

Cyprianus mensam simplicem vehementer commendat.

Quam postulationem ex precatione Domini ortam esse affirmat. Nam Christiano, qui baptismate accepto rebus humanis nuntium remisit, panem solum i.e.victum ad vitam necessarium petendum esse.[1] Atque cum auctoritate Christi nitatur, qui dixit: "Nolite cogitare dicentes: quid edemus aut quid bibemus aut quid vestiemur?...quaerite primo regnum et iustitiam Dei, et haec omnia adponentur vobis" (Matth.6.31), persuasum habet victum necessarium homini Christiano nunquam defuturum, "si Deo ipse non desit";[2] immo vero Dominum potissimum eorum memorem esse, qui se utiles praebuerint nec libidini potius luxuriaeque quam liberalitati et beneficentiae paruerint ut Deum quasi debitorem suum sibi conciliaverint.[3] Haec praecepta qui observat, cibum suum parcum cum gaudio capit, cum dives, cuius mensae conquisitissimis epulis exstruuntur, in conviviis - "bibat licet gemma"[4] - suspiretur, quod eius animum semper aliqua sollicitudo de divitiis discruciat.

In libello ad Donatum misso Cyprianus optat, ut sobrium convivium Christianorum cantu hymnorum sacrorum

---

1) De dom.orat.XIX.p.281/3. Conf.Tert. De orat.VI. (Reifferscheid p.184). 2) De dom.orat.XXI.p.282/26.

3) De opere et eleem.XI.p.382/4.

4) Ad Donat.XII.p.13/17. Conf.De zelo et liv.VII.p.423/24.

laetum reddatur;[1] quae cantica quin loco fidium et tibiarum epulis adhibere voluerit, dubium non est; nam strepitus citharae tibiaeque a Christianis severioribus contemnebatur.[2]

Convivia autem luxuriosa propterea quoque a Cypriano damnantur, quia "largioribus epulis mens gravata minus ad preces orationis" evigilat.[3] Sed corpora ipsa ganeonum pluribus cibis enervata fieri censet.[4]

Atque hoc in genere Cyprianus de lapsis queritur, quod ieiunia non servent, qui peccato commisso balneas adeant, qui fuco utantur, quos edaces epulis largioribus tam immodice se saturare, ut "cruditates suas postridie" ructent.[5] Atque fore ut omnes in isto saeculo "saginatos" ad aeternam famem ac sitim damnentur, persuasum habet.[6]

---

1) Ad Donat.XVI. p.16/10. 2) Clemens Alex.Paed.IV. Sed etiam scriptores profani huius cantus tibiarum nervorumque generis odium habuerunt, ut Martial IX.77.5. Conf.L.Friedländer l. all.I.p.254. H.Blümner l.all.p.411. 3) Ep.11.6. p.500/12. Conf. Tert. De ieiun.VI. (Reifferscheid p.280): "omnem disciplinam victus aut occidit aut vulnerat."
4) Ad Donat.XII.p.13/25.- Usum autem epularum luxuriosarum etiam philosophi, rerum gestarum et satirarum scriptores vehementer insectabantur, laudando inprimis veterem morum simplicitatem, qua victus ad valetudinem referebatur et ad vires, non ad voluptatem. Seneca ep.14.15 (Haase vol.III.p. 39): "facit temperantia bonam valetudinem." - Iam inde antiquitus usu cognitu habebant, plures cibos menti inprimis adulescentium nocere. Qua de re agit Gellius, Noctes Att.IV.19.1 (ed.C.Hosius, Lps.1903; vol.I.p.207): "Pueros inpubes conpertum est, si plurimo cibo nimioque somno uterentur, hebetiores fieri ad veterni usque aut eluci tarditatem corporaque eorum inprocera fieri minusque adolescere." Conf.K.Huber, l.all.p.24.
5) De lapsis XXX.p.259/6. 6) Ep.2.2.p.468/20.
Ep. 69.3.p. 670/5.

Imprimis vero convivia nuptialia luxuria licentiaque effusa excellebant.[1] Quo minus mireris, quod Cyprianus illum tam pravum morem, ex quo ne virgines quidem Deo dicatas pudebat talia convivia inire,[2] "quibus libidinum fomes accenditur, sponsa ad patientiam stupri, ad audaciam sponsus animatur" acerrime vituperat.[3] Eo magis votum, quo virgines castitatem Deo promiserant, in periculum discrimenque vocabatur, quod tum permissum erat, ut feminae non ut olim assidentes et a cibis se abstinentes epulis virorum interessent, sed ipsae cum viris accubantes ederent et biberent.[4]

De vini usu.

"Et tu miraris aut quereris in hac obstinatione et contemptu vestro, si rara desuper pluvia descendat...si vix ieiunas et pallidas herbas sterilis gleba producat, si vineam debilitet grando caedens, si oleam detruncet turbo

---

1) Conf. L.Friedländer l.all.vol.I. p.276.; Blümner l.all. p.359. 2) De hab.virg.XXI.p.202/5 . 3) De hab.virg. XVIII.p.200/15. Quae convivia Clemens Alexandrinus quoque adumbrat (Paed.II.4. 40.1-3), qui dicit: „ἀτέστω δὲ ἡμῖν τῆς λογικῆς εὐωχίας ὁ κῶμος, ἀλλὰ καὶ αἱ πανυχίδες αἱ μάταιαι ἐπὶ τερπνίᾳ κομῶσιν· ὁ μὲν γὰρ ἐστι μεθυστικὸς (αὐλός) ἄλυς, ἐρωτικῆς σκηδιαστὴς ἀδημονίας ὁ κῶμος· ἔρως δὲ καὶ μέθη, τὰ ἀλόγιστα πάθη, μακρὰν ἀπῴκιστται τοῦ ἡμεδαποῦ χοροῦ· σύγκομος δὲ τερπνία τίς ἐστιν ἡ πανυχὶς [δὲ] ἐπὶ τότῳ, μέθης ἐκκλητικὴ καὶ συνουσίας ἐρεθιστική, τόλμα αἰσχροποιός. οἱ δὲ ἐν αὐλοῖς καὶ ψαλτηρίοις καὶ χοροῖς καὶ ὀργήμασιν καὶ κροτάλοις Αἰγυπτίων καὶ τοιαύταις ῥαθυμίαις σάλοι ἄτακτοι καὶ ἀπρεπεῖς καὶ ἀπαίδευτοι κομιδῇ γίγνοιντο ἂν κυμβάλοις καὶ τυμπάνοις ἐξηχούμενοι καὶ τοῖς τῆς ἀπάτης ὀργάνοις περιψοφούμενοι!"

4) Conf.Marquardt-Mau l.all.vol IV.p.63.

subvertens, si fontem siccitas statuat, aerem pestilens aura corrumpat..."[1] Quo loco et ceteris, ubi res ad vitam necessariae enumerantur, Cyprianus scilicet ne vini quidem obliviscitur, id quod minime miramur. Vino enim Romani et divites et pauperes potu cotidiano uti solebant.[2] Cyprianus igitur, quamvis vino, si modice gustetur, mentem solvi et animam relaxari et maestitiam omnem pelli concedat,[3] tamen suos admonet, ne hoc dono abutantur; nam Deum vinum hominibus munus misisse, non ut id apud aras deorum sacrificent.[4] Deinde necesse esse bibendo moderatum se praebere, quia vinum tumulentum faciat.[5] Vinolentiam autem omnibus fere locis, ubi Cyprianus idololatras vitiis flagitiisque obrutos esse dicit, inter eorum vitia nominat.[6] Verum ut ab ethnicis ad Christianos veniamus, nihil Cyprianus molestius fert quam quod quidam martyres carceribus emissi nomen Christianum ebriositate polluerunt.[7] At contra nonnulli Christiani ne calicem quidem Domini bibere ausi sunt, ne, qui sint, anhelitu vini aperirent, ut Cyprianus memoriae tradidit.[8]

De ieiuniis servandis.

Cyprianus, cum populi Christiani vexationem Decio imperatore anno CCL castigationem propter intemperantiam licentiamque Christianorum a Deo missam esse existimet, gregem suum admonet, ut ad Deum placandum non modo precibus sed etiam ieiuniis utantur.[9] Eadem fere iis, qui cruciatus timore perculsi se Christianos esse negaverant, dicta legimus in libello De lapsis".[10] Sed quamquam ieiunium plurimi aestimat, tamen huic exercitationi non nimis tribuit. Pluris enim ducit liberalitatem beneficentiamque.[11] Itaque nullo loco scriptum legimus Cyprianum a virginibus

1) Ad Demetr.VII.p.355/21. 2) Conf.Blümner l.all.p.196.
3) Ep.63.11.p.710/13. 4) De hab.virg.XI.p.195/19.
5) Ep.63.11.p.710/4. 6) Conf.Ad Donat.III.p.5/18. Ad Demetr. X.p.357/26. 7) Ep.13.4. p.506/25. 8) Ep.63.15.p.713/19.
9) Ep.11.1. p.495/13. 10) De lapsis XXIX.p.259/1.
11) De opere et eleem.V.p.377/13.

postulavisse ut se a carne vinoque abstinerent, quod tamen ab iis iam inde a secundo p.Chr.n.saeculo plerumque postulabatur,[1] sed eas perseverentiae castitatis praemioque aeterno operam dare vult "multorum precibus" i.e.pauperum, quos cibis iuvabant.[2] Quam benevolentiam erga egentes Cyprianus propter iniquitatem temporum tantopere commendasse videtur. Permulti enim Christiani Carthagine erant, qui vel rebus ad vitam degendam maxime necessariis egebant: partim, quia egestate iam pridem pressi ad veram religionem transierant, partim, quia bonis in aerarium redactis in egestatem deducti erant, partim, quia in carceribus et metallis fame et siti laborabant. Qui his de causis cibo abstinere coguntur, eos in ista vita iam a Deo "spiritalibus nutrimentis" ali,[3] in illa autem vita futura ad patriarcharum convivium congregatum iri Cyprianus affirmat.[4]

Comprehensio.

E locis allatis facile intellegitur Cyprianum non tam id spectasse, ut Christianis Carthaginiensibus severa praecepta vivendi daret, quam ut intemperantia luxuriaque ab eorum mensa amoverentur, quod ea vitia non solum singulis, sed ipsi nomini Christiano nocerent. - In quo Cyprianus a Tertulliano magistro suo valde dissentit, qui ieiunia atque "xerophagias" non satis videtur laudare posse.

---

1) Conf. P.Wendland l.all. p.237.
2) De hab.virg.XI. p.195/7.
3) Ep.39.2. p.582/17.
4) De mort.XVII.p.308/10; De opere et eleem.XXIV.p.393/1.